oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens
diceret, d(omi)ne propitius mihi esto peccatori. Et ista confessio
meruit iustificationem. Quomodo iste caecus inluminationem,
ad oculos ergo dictum, quia aperuit oculos caeci nati; nisi esset hic a
deo non poterat facere quicquam libere constanter veraciter. Haec enim
quae facta sunt a d(omi)no a quo fierent nisi a d(omi)no? aut quando a
discipulis talia fierent nisi in eis d(omi)n(u)s habitaret? Responderunt
et dixerunt ei: In peccatis natus es totus. Totus quid est? cum ocu-
lis clausis, sed qui aperuit oculos salvat et totum ipse dabit
ad dexteram resurrectionem qui in facie dedit illuminationem.
In peccatis totus natus es et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.
Ipsi illum magistrum fecerunt, ipsi ut discerent totiens in-
terrogaverunt, et ingrati docentem proiecerunt. Sed quod dixi
iam dudum, faciunt illi, pellunt; excipit d(omi)n(u)s. Magis enim quia expulsus est, chri-
stianus factus est. Audivit Ih(esu)s quia eiecerunt eum foras et
cum invenisset eum dixit ei: Tu credis in filium d(e)i? Modo la-
vat faciem cordis. Respondit ille et dixit, quasi adhuc in-
unctus: Quis est d(omi)ne ut credam in eum? Et dixit ei Ih(esu)s: Et vidisti eum et
qui loquitur tecum ipse est. Missus est ille, ipse lavans faciem
instat lavacri quod interpretatur Missus. Denique iam facie lota
cordis et mundata conscientia, agnoscens eum non filium homi-
nis tantum quod ante crediderat, sed iam filium d(e)i qui
carnem susceperat, ait: Credo d(omi)ne. Parum est credo; vis
videre qualem credat? Procedens adoravit eum. Dixit
Ih(esu)s: Modo dies ille est lucem et tenebras discernens.
In iudicium ergo in hunc mundum veni, ut qui non vident videant et qui vident
caeci fiant. Quid est hoc, d(omi)ne? Magnam quaestionem fessis intu-
listi, sed erige vires nostras ut possimus intellegere quod
dixisti. Venisti ut qui non vident videant, recte quia lumen es,
recte quia dies es, recte quia de tenebris liberas. Hoc omnis ani-
ma accipit, omnis intellegit; quid est quod sequitur: et qui vi-
dent caeci fiant? Ergo quia venisti caeci fiunt qui videbant?
Audi quod sequitur, et forte intelleges. Commoti sunt ergo quidam ex Pharisaeis
et dixerunt ei: Numquid et nos caeci sumus? Audi iam quid est quod

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0166